

nem ad solum testamentum paganum trahunt, ea ratione, quod quo-
quomodo milites testari possunt & quod in Inst. d. § 2. & seqq. scriptum
testamentum ita definitur, quod plures requirit solennitates, quam quae
in militare testamentum cadunt. Sed justè hoc nomine P. Gregor.
reprehendit Joh. Dauth de testam. n. 116; & si prætensa argumenta
quid possent, hoc etiam probarent, quod nec testamentum militis nuncu-
pativum quoddam esse possit, quia illud non fit quoquomodo regulari-
ter nec absq. aliqua solennitate. Illud magis controversum hic; An
plures quam duæ hæ species sint testamentorum? & utrum re-
ctè ut species inter se opponantur? Sane plurimi sunt qui ex scri-
pto & nuncupativo unum testamentum quoddam constituant, quando
nempe testator solennia tam scripti quam nuncupativi omnia vel ex par-
te maiore adhibuit, uti disputat latè Vasq. de success. creat. lib. 2. § 11.
& Job. Dauth. de Test. n. 124, qui mixtum quoddam genus constitu-
unt; ac probare hoc videtur l. hac consultissima, s. C. qui test. fac. poß.
Hinc quemadmodum natura non permittit, ut una animalium species
in aliam convertatur vel transeat: sic nec ars, cuiusmodi juris prudentia
est l. 2. D. de J. & J. & naturæ imitatrix l. adoptio 15. D. de adopt. l.
si quis posthumos 9. D. de lib. & post. patitur unam specie rei vel Juris in
aliam eamq; diversam vel oppositam vertere. Non E. erunt oppositæ
species, aut tertia species, que mixtum reddit testamentum, erit ad-
denda. Verum si attendatur, hanc testamenti ab externa forma fa-
ctam distributionem non esse à forma essentiali sed accidentali; non
erit difficile hoc permittere, quod utræq; illæ testandi formæ pos-
sint majoris cautionis & securitatis gratia vel etiam ex accidenti
uni eidemq; testamento absq; vitio adhiberi, ut ex alterutra eaq;
perfectiore valeat & defendatur, secundum magis receptam opinio-
nem, de qua Wesenb. cons. 29. n. 17. & Menoch. 4. præsumt. p. 1. præf.
2. n. 14. Aut enim utræq; testandi forma est perfectè uno eo-
demq; continuo actu observata, aut altera tantum; vel neutra
perfecta. Si utræq; perfectè observata est, & constat, utræ testa-
torus decidere testator voluerit: ejus hac in parte sententia sequenda, &
juxta id quod testator eligit defendendum est. Neq; enim una te-
standi forma alteram consumit, sed pariter coëunt, & una per alteram
juratur, cum sint non ex opposito, sed diversis & disparatis comparatae
Vasq. d. §. 11. n. 11. lib. 2. Si vero voluntas testatoris dubia sit & obscura,